Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2597
Quelle:
Copyright:

XIII. *fol.* 170. Inſtitutio rhythmica Virginis Deo conſecratae *Stropharum* 109. quae ſic ordi-tur:

Grata deo caſtitas eſt coniugatarum.
Illa plus quam ſanctitas ornat viduarum.
Longe precellentior virginum ſacrarum.
Luminare maius hoc lumen dat preclarum.

Et finit:

Hoc labore ſeculi ſuſtine certamen
Vt ſecura videas ultimum examen.
Tunc ſanctarum virginum ſencias iuuamen
Vt cum illis gaudeas in eternum Amen.

DCLXXXI.

582 Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. partim Sec. XV. partim XIV. 4. olim *Fratrum Sancte Crucis in Colonia*, Tractatus condit ſequentes: I. *De Simonia vitanda* Diſſertatio conſtans *Articulis* XVIII. cujus initium: *Gratis accepiſtis. gratis date. Matbei decimo. Filiis Dei. Dominus et ſaluator cuius tanta eſt caritas* &c. Contenditur potiſſimum, Religioſos Ordines nihil poſſe exigere a Perſonis recipi cupientibus.

II. *fol.* 30. p. 2. Tractatus de eadem Materia ejusdem Autoris, hujus initii: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem* &c. *Iſta ſunt verba ſacratiſſimi principis Apoſtolorum Actuum octauo.* &c. Adparet e Prooemio Scriptum iſtud dirigi contra Doctorem aliquem, *quem* ut ait Noſter, *vita ſcientia et etas commendabilem fecit et famoſum*, quique leniter nimis Conſtitutionem *Bonifacii* VIII. et *Urbani* V. contra Quaeſtum ejusmodi Receptionum interpretatus fuerat. Conſtat *Articulis* XI. probeque verſatum in Iure Can. et Patribus Autorem prodit. Eſt vero is *Carthuſianus*, et quidem, ut e *Trithemio* et *Theod. Petreji Bibl. Carth. p.* 74. doceor, pius ille celeberque πολυγραφος *Dionyſius de Leuwis* dictus a Patria *Ryckelius*, qui a. 1471. e Conventu *Ruraemundano* ad Superos abiit, memoraturque in *Bibl. Belg. Foppenii* T. I. p. 241. Hic vero Reſponſo non caruit; ſequitur enim

III. *fol.* 61. Commentatio titulo: *Per infraſcripta Reſpondetur obiectionibus cuiusdam religioſi In materia de Symonia*, quae incipit: *Alias pauco tempore transacto Reuerendiſſimo In chriſto patre Domino Nicolao de Cuſa Cardinali et legato ſedis Apoſtolice in partibus bollandie agente* &c. Autoritate hujus Viri *non*, ut dicitur, *priuatim in cameris* (puta ut Carthuſianus) *ſed in exercitio ſcolaſtico edocti et promoti* ſtatuitur:

a